

ant, utraque rationem suppositi amittit quia non habent amplius ambæ rationeim totius, sed fiunt partes totius alicujus suppositi ex totali earum unione exurgentis: sic ex duabus aquæ guttis, ut dixi, fit unicum totale suppositum.

V. Dissident Metaphysici de natura subsistentiæ; verum quidquid dicant, observare satis erit, subsistentiam non esse concipiendam tamquam entitatem aliquam, vel semisubstantiolam substantiæ singulari superadditam; certum tamen est subsistentiam a substantia faltem per mentem distinguere cum fundamento in re, ut patet ex utriusque definitionis collatione. Cæterum illæ omnes definitiones in Theologia utilitatis sunt maximæ, cum ex vocabulorum illorum confusione natæ sint primis Ecclesiæ faculis perniciosissimæ, & subtilissimæ heres. Cæterum accuratæ definitiones in divinis mysteriis eam quantam habere possunt claritatem conciliant.

## ARTICULUS V.

### *De necessario, & contingente.*

I. **D**Efectus alicujus realitatis, quæ esse poterat, vel quam existere per se non repugnat, *privatio* dici solet. Quoniam autem defectus istiusmodi actu datur, ideo per modum entis consideratur, & dicitur *ens privativum*. E. G. Visus est realitas, quæ homini, & animalibus convenit: fieri autem potest ut homo, atque animal visu priventur; quare defectus vi-